

definit: n) *Qui bona fide, inquiens, alicui seruiat, siue seruus alienus est, siue homo liber est, quidquid ex re eius, cui seruit, acquirit, ei acquirit, cui bona fide seruit.* Sed et si quid ex operis suis acquisierit, simili modo ei acquirit. Nam et opera e quodammodo ex re eius, cui seruit, habentur, quia iure opera ei exhibere debet, cui bona fide seruit. Tamdiu autem acquirit, quamdiu bona fide seruit. Caeterum si cooperit scire, esse cum alienum, vel liberum, videamus, an ei acquirit? Quaestio in eo est, utrum initium spectamus, an singula momenta? et magis est, ut singula momenta spectemus. Quibus duobus locis iungamus alium PAULI nostri, in quo is iterum se miscellionem praestat, & cum POMPONIO, quem nominat, Proculianorum castra sequitur. Ita enim scribit: o) *In contrarium quaeritur, si eo tempore, quo mihi res traditur, putem vendentis esse, deinde cognouero, alienam esse, quia perseverat per longum tempus capio, an fructus meos faciam?* POMPONIVS, verendum, ne non sit bonae fidei possessor, quamuis capiat. Hoc enim ad ius, id est capionem, illud ad factum pertinere, ut si quis bona, aut mala fide possideat. Nec contrarium est, quod longum tempus currit. Nam e contrario is, qui non potest capere propter rei vitium, fructus suos facit. Scio quidem, multum esse doctores in eo occupatos, vt haec iuris nostri loca ad consonantiam redigant, quod varia ratione, vt alios taceam, tentarunt LUDOVICVS VI-

TALIS

n) in L. 23. pr. & §. I. D. de acquir. ver. domin.

o) in L. 48. §. I. D. de acquir. ver. dom.